



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Vtrum anima rationalis sit immaterialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Quæst. VII. Sect. I. & II. de Appetitu, &c. 499

Organum.

Dico quartò, organum sensitiui appetitus solum esse cor, non cerebrum.

Ratio est, quia experimur diuerso modo cor ipsum affici, prout varij sunt affectus in appetitu; dilatur enim in lætitia, in tristitia comprimitur, in metu palpitatur, &c. ergo signum est in corde residere appetitum.

Dimissio.

Dico quintò: sicut vnus in cerebro est sensus internus, sic vnus esse in corde appetitum, qui tamen duplex esse commodè dicitur; alius concupiscibilis, alius irascibilis, formaliter inter se distincti, non realiter. Ratio afferretur sequenti disputatione, cum de appetitu rationali agam; par enim vtriusque ratio est.

SECTIO II.

De potentia motrice animalium.

Duplex motus in viciis.

IN quolibet animali duplex distinguitur motus: Alter dicitur naturalis & purè vitalis, qui non exercetur ex directione cognitionis, & imperio appetitus; vt motus cordis, arteriarum, pulmonum, cerebri: alter dicitur animalis, qui exercetur ex directione cognitionis, & imperio appetitus, qualis est motus progressiuis, quem habet quodlibet animal; vel perfectum, cum simpliciter secundum se totum progreditur à loco in locum; vel imperfectum, cum in eodem loco torali manens contrahit se, vel dilatat. Hic motus animalis obiectum est potentia motiua.

Existencia.

Dico primò, in quocunque animali simul cum sensu interno, & appetitu reperiri potentiam motricem, quæ vtrique coniuncta est.

Ratio est, quia frustra per phantasiam cognoscetur bonum, & per appetitum appetetur, nisi posset animal per potentiam motricem in illud tendere, ab isto fugere.

Inchoatio motus.

Dico secundò, potentiam motiuam non posse vnquam inchoare actionem, nisi dirigatur à phantasia, & determinetur ab appetitu. Directio autem phantasie cognitio est alicuius boni, aut mali: determinatio appetitus est actus elicitus appetitus, qui vocatur imperium.

Ratio est, quia potentia motrix est facultas exequutiua eorum, quæ phantasia iudicat bona, & quæ appetitus amat: ergo illa potentia dirigi debet à phantasia, & determinari ab appetitu. Fateor autem hanc potentiam sæpe agere ex imperio solius appetitus rationalis, qui sæpe aliquid imperat contrarium inclinationi appetitus sensitiui; sæpe quoque agere ex sola determinatione appetitus sensitiui, quia multi sunt motus indeliberati.

Dico tertio, potentiam motricem organicam rectè definiti, *facultatem animæ sensitiuam, quæ præcise appetitione mouet animal ad quancunque loci distantiam, vt saluaria querat, & fugiat noxia.* Organum eius sunt musculi cum fibrosa carne, vt olim deſcripti.

~~~~~

## DISPUTATIO IV.

Ordine XVIII.

De anima rationali.



DEO liquere animo non potest de rebus ceteris, vt adhuc ipse se querat, inquit Seneca lib. 7. *naturalium questionum*: nam sicut oculus corporis alia videt seipsum non videns,

A vt notat Philo; sic & mens intelligit alia, & abstruſſiſſima quæque inuenit; seipſam verò non comprehendit, cum tamen cognitio illa reliquis ferè omnibus, tum vtilitate præſtet, tum dignitate, vt monet Baſilius *homilia in illud, Attende tibi*. Consideranda itaque mihi primum est entitas ipsa & substantia animæ rationalis cum suis prædicatis essentialibus. Secundò potentia illius, nimirum intellectus, voluntas, potentia motrix inorganica, postremò habitus, tum in genere, tum in specie.

## QVÆSTIO I.

B De substantia & prædicatis quidditatis animæ rationalis.

Videò illa esse posse potissimum quinque, quæ partim pertinent ad gradum eius genericum, vt immaterialitas & immortalitas; tria ad specifi- cum. Circa quæ videndum primò,

## SECTIO I.

Utrum anima rationalis sit immaterialis.

Certum est primò, animam rationalem esse substantiam quandam à Deo creatam, diuersæ prorsus rationis à substantia ipsa Dei: contra Plutarchum lib. de *question. Platonis*, Philonem lib. *Quod deterius potiori insidietur*, Carpocratem, vt refert Irenæus lib. 1. cap. 24. Cerdonem, vt docet Theodoretus lib. de *diuinis præceptionibus*, Gnosticos, Manichæos, Priscillianistas, apud Augustinum lib. de *hæresibus*, cap. 46. & 70. qui affirmarunt animam rationalem esse particulam quandam diuinæ substantiæ; quod tanquam hæreticum damnatur à Concilio Bracharenſi & Leone Magno *epist. 91.* quia sic Deus non esset ens summè simplex, si partes ex eo decidi possent: non esset actus purus, si venire posset in compositionem: non esset immutabilis, quia transiret ab vno statu in alium.

Animæ non est Dei portio.

D Certum est secundò, animam rationalem esse diuersæ rationis à substantiis separatis, seu intelligentiis: contra Origenem lib. 1. *periarchon*, cap. 5. & 8. qui putat animas esse Angelos humanis corporibus intrusos; quod repugnat Scripturæ: *Misisti eum paulò minus ab Angelis*. Repugnat etiam rationi, quia anima ens est incompletum, & forma corporis, vt postea probabitur.

Differt ab intelligentiis.

Tota ergo controuersia est, utrum hominis anima conueniat cum intelligentiis, & cum ipſo Deo, saltem in gradu generico immaterialitatis; id est utrum anima in ſuo esse pendeat à corpore, in eoque sic sustentetur, vt naturaliter existere nequeat sine illo. Dictum videlicet est *prima disput.* proprium characterem rei spiritualis esse, non dicere ordinem ad materiam & quantitatem, in qua sustentetur, vel quam sustentet.

Dico primò, certum esse omnino ex fide, quod anima rationalis est purè immaterialis. Contra Tertullianum lib. de *anima*, à cap. 5. ad 9. vbi & Platonem refutat assertorem immaterialitatis animæ.

Fidei decretum.

Primò enim sic probant Doctores Catholici ex Scripturis, quæ animam vocant sæpe spiritum, vt docent Interpretes ad eum locum: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vite*. Definitum est in Concilio Lateranenſi sub Innocentio II *1. cap. Firmiter de summa Trinit.* & in Concilio altero Lateranenſi sub Leone X. *sess. 8. & in VI. Synodo* dicitur spiritualem

T 4 esse

esse animam, quam assumpsit Verbum. Idem est Patrum omnium sensus, Augustini v. g. lib. 10. de Genesi ad litteram, cap. 24. & seq. & epist. 28. & 157. Ambrosij epist. 25. Eadem vox omnium Theologorum, S. Thomæ 1. p. q. 75. art. 2. & 6. Scoti in 4. dist. 43. q. 2. Vide Suarez lib. 1. de anima, cap. 9. Valentiam 1. p. disp. 6. q. 1.

Dico secundò, ex naturali etiam ratione probari animæ immaterialitatem.

Probatio generalis.

Ratio generalis illa est, quam habet Philosophus lib. 3. de anima, textu 12. & 13. ubi ex spiritali operatione animæ probat impermixtum esse intellectum, id est à corpore independentem; sic enim licet argumentari. Illa forma est spiritalis, cuius operatio est spiritalis: operationes animæ, intellectio & volitio, sunt spirituales: ergo anima rationalis est spiritalis.

Maiores argumenti.

Maiores propositio nititur receptissimo illo axioma, *Modus operandi sequitur modum essendi*: probaturque primò ex parte potentie actiue. Impossibile est ut operatio superet vim actiuam à qua est: si operatio esset spiritalis, principium autem materiale, operatio superaret vim actiuam à qua est: ergo si operatio est spiritalis, principium eius non est materiale. Secundò ex parte potentie receptiue: nam operatio immanens spiritalis non potest recipi à subiecto materiali; esset enim spiritalis, quia supponitur; & esset materialis, quia penderet à materia tanquam à subiecto: intellectio & volitio sunt operationes immanentes: ergo si ambæ sunt spirituales, intellectus etiam in quo sunt, debet esse spiritalis. Maior ergo illa vera est, & certa.

Tota difficultas est in probanda minore, quæ afferebat spiritalitatem intellectiois & volitionis: ut autem accuratè illa probetur, discutiendæ sunt variæ illius probationes, quarum aliquæ minus videntur efficaces, aliæ omnino certæ ac demonstratiuæ.

### S. I.

*Spiritalitas operationum animæ parum efficaciter à nonnullis probata.*

Ex obiectis corporeis.

Primò enim probari eam aliqui censent ex obiectis corporeis, quia intelligit omnia corpora: ergo non est corpus; potentia enim debet ex Aristotele nudari à conditionibus obiecti sui, quia intus apparet, prohibet alienum: quo principio ex Anaxagora desumpto vtitur Philosophus lib. 3. de anima, textu 13. ad probandam spiritalitatem intellectus. Quia, inquit, si haberet intellectus in se aliquod corpus, non posset intelligere omne corpus; sicut oculus si haberet aliquem colorem, non posset videre omnem colorem.

Hæc probatio infirma videtur, quia sensus internus cognoscere potest omne corpus; & tamen corporeus est: axioma verò illud, *Intus apparet prohibet extraneum*; in externis tantum sensibus locum habet, quorum organa debent esse denudata conditionibus obiectorum quæ percipiunt; hoc enim, ut monebam, solà probatur experientiâ: in sensu interno, & multò minus in intellectu, nullo modo probari potest. Argumentatio autem Philosophi sic est intelligenda; intellectus omnia intelligit, tum spiritalia, tum corporea: ergo non est corpus; intus enim existens, ratio scilicet corporis, in eo impediret alienum, id est cognitionem rerum spiritalium.

Ex organo.

Secundò alij probant ex organo; sic enim ar-

guunt. Potentia vniuersalissima, qualis est intellectus, non potest habere organum: si intellectus esset materialis, haberet organum: ergo intellectus non est materialis. Probat maior. Si potentia vniuersalissima haberet organum, haberet determinatam dispositionem repugnantem cum receptione vel reali, vel intentionali, quam prærequirit cognitio: ergo non esset potentia vniuersalissima, neque omnia posset intelligere. Declaratur antecedens; nam ad tactum v. g. necessaria est realis aliqua qualitas, quam plerumque prohibet qualitas similis, aut intensior inexistens tactui, quæ simul prohibet sensationem tactilis extrinseci: ergo nulla esse potest dispositio determinata organi, quæ sit apta ad cognitionem cuiuslibet obiecti.

Hæc probatio coincidit cum præcedente, facileque reiici potest, quia si datur aliqua temperies oculi apta ad perceptionem visibilem, & aliqua temperies sensus interni apta ad perceptionem omnium sensibilem, quare non poterit dari aliqua temperies organi apta recipiendis speciebus rerum omnium. Negari ergo potest prima maior; potentia enim vniuersalissima posset habere organum determinatam habens dispositionem, quæ non repugnet cum perceptione omnium rerum: neque licet argumentari à sensu tactus, & aliis sensibus externis, ad intellectum, cum etiam argumentari non liceat ad sensum internum, ut nuper monui.

Tertiò immaterialitatem intellectus alij probant ex vi abstrahendi, quæ conuenit sine dubio intellectui; sic enim argumentantur. Illa potentia, quæ naturam abstrahit ab omnibus conditionibus materialibus est immaterialis, alioqui modus operandi non sequeretur modum essendi: intellectus faciendo vniuersalia naturam abstrahit ab omnibus conditionibus indiuiduantibus & materialibus: ergo intellectus non est materialis.

Hæc etiam ratio non conuincit, quia non apparet quomodo vis abstrahendi superet virtutem potentie cuiuslibet materialis; maior enim facile potest conuinci falsitatis. Si enim probatur intellectus non esse materialem, quia naturam abstrahit à conditionibus materialibus, sequitur etiam illum non esse singularem, quia naturam abstrahit à conditionibus singularibus: imò sequitur illum non esse spirituale, quia naturam Angeli abstrahere potest à conditionibus indiuiduantibus spiritalibus.

Quartò probant quamplurimi ex entibus ratio, entis, & facultate fingendi, ac transcendendi speciem sensibilem discurrendo, & iudicando. Nam potentia illa spiritalis est, quæ transcendit id omne quod species repræsentat per materiam subministrata: intellectus quoties fingit aliquid, quoties iudicat & discurret, assurgit supra omnem vim speciei subministratæ ab obiecto corporeo; nam cum intelligit v. g. rem corpoream, species non ostendit nisi accidens materiale; ipse verò intellectus considerat vltiùs naturam & proprietates: ergo intellectus est spiritalis.

Hæc etiam ratio nihil probat, quia sensus internus, quatenus est facultas æstimatoria, transcendit etiam id totum quod repræsentat species ab obiecto subministrata; nam cognoscit v. g. dissonantiam obiectorum, quam species illa non repræsentat: potest ergo potentia materialis supra illud totum assurgere, quod repræsentatur per speciem profectam ab obiecto corporeo.

§. II.

Prima probatio efficax ex spiritualitate obiecti.

**I**s igitur omittis, quæ non satis efficaciter demonstrant spiritualitatem operationum animæ; probant eam efficacius, ni fallor, spiritualitas obiecti, deinde vniuersalitas, postremo libertas voluntatis, & puritas amoris.

**Proponitur prima probatio.** Primum sic propono. Illa operatio non est materialis, quæ versatur circa obiectum purè spirituale: huiusmodi est operatio intellectus & voluntatis, dum versatur circa Deum & Angelos: ergo operatio intellectus & voluntatis non est materialis. Maior probatur. Inter actum & obiectum necessarium admittenda est aliqua proportio habitudinis: inter ens immateriale & materiale nulla est proportio, cum sit omnimoda oppositio: ergo implicat ut obiectum immateriale attingatur per actum materiale.

**Prima euasio præcluditur.** Responderi primò solet, intellectum & voluntatem non attingere obiecta spiritualia, nisi ad modum corporum, idè quæ non probari spiritualitatem animæ ex eo quod cognoscat spiritualia, cum illa semper attingat ut vestita conditione corporea & materiali; ex quo probari magis videtur materialitas intellectus & voluntatis.

Sed contrà. Intellectus & volitio sunt operationes incorporeæ, si modo incorporeo attingant obiecta spiritualia: sed attingunt modo incorporeo spiritualia: ergo sunt operationes incorporeæ. Probatur minor. Cognoscere differentiam incorporeorum à corporeis non est cognoscere spiritualia modo corporeo, sed incorporeo: intellectus cognoscit differentiam spiritualium à corporeis, & illa inter se opponit & discernit: ergo intellectus attingit spiritualia modo incorporeo. Maior videtur euidentius, quia opponere vnum alteri, & illud contradistinguere, non est illud intelligere ad modum alterius: nam hoc est attribuire vni alterius proprietates. Deinde negare Angelum esse corpus, non est cognoscere Angelum modo corporeo: sed intellectus negat Angelum esse corpus, quamvis nunquam cogitet Angelum quin cogitet iuuenem aliquem corporeum; reflectit tamen suam operationem, & negat Angelum esse iuuenem alatum: ergo intellectus non cognoscit Angelum modo corporeo. Imò ex fide constat, quod intellectus Beatorum Deum videt ut est in se; quæ visio Deum attingit modo incorporeo. Denique spirituales esse operationem, quæ modo etiam corporeo versatur circa spiritualia, constabit ex sequentibus.

**Secunda euasio præcluditur.** Responderi secundò potest, non satis ostendi, quod operatio materiæ immersa non possit versari circa obiectum spirituale; sicut operatio finita & potentialis potest versari circa obiectum infinitum, & actum purum.

Sed contrà. Operatio materialis non potest attingere obiectum spirituale, licet operatio finita & potentialis possit attingere obiectum infinitum & actum purum: ergo si operatio attingit obiectum spirituale, est spiritualis. Antecedens probatum est *disp. 4.* quia nulla potentia egredi potest extra totam latitudinem obiecti adæquati. Obiectum spirituale necessarium est extra totam latitudinem potentie materialis, cum non habeat vllam proportionem cum illo, sed potius omnimodam oppositionem: obiectum autem infinitum, & actus purus contineri potest intra latitudinem obiecti adæquati

**A** potentie finitæ ac potentialis, cum habeant aliquam proportionem habitudinis, & conueniant in ratione spiritualitatis: ergo nulla potentia materialis attingere potest obiectum spirituale, quamvis possit intellectus finitus & potentialis attingere obiectum infinitum & actum purum. Deinde vis cognoscitiua fundatur in eleuatione supra materiam: ergo potentia & obiectum debent conuenire in modo immaterialitatis. Vnde argumentor. Potentia quæ cognoscit ens immateriale, supremo modo est eleuata supra materiam: potentia materialis non potest supremo modo esse eleuata supra materiam: ergo potentia materialis non potest attingere obiectum spirituale.

**B** Valida ergo est allata probatio, quam vterius sic confirmo. Animus noster spiritualibus mirificè delectatur, & quasi pascitur ac nutritur: ergo signum est illum esse spirituale, quia vnumquodque viuens sibi proportionatis vescitur cibis; quo argumento vsos esse communiter Platonitos ad probandum spiritualitatem animæ, refert Tertullianus *lib. de anima, cap. 6.* eodem etiam vtitur Claudianus Mamertus *lib. 2. de statu animæ, contra Faustum;* ubi adducit Nazianzenem locum in apologia: *Sicut caro corporalibus pascitur, sic anima spiritualibus saginatur.*

§. III.

**C** Secunda probatio ex vniuersalitate obiecti.

**I**lla potentia operationem habet immaterialem, cuius obiectum ita est vniuersale, ut complectatur totam latitudinem entis: huiusmodi est obiectum intellectus & voluntatis: ergo illæ potentie operationem habent spirituales.

Probatur maior. Non potest facultas corporea habere obiectum æquè latè patens, ac potentia spiritualis: obiectum potentie spiritualis non est nisi ens ut ens, idèst nisi ens vniuersalissimè sumptum: ergo ens vniuersalissimè sumptum non potest esse obiectum potentie corporeæ. Maior est certa, quia potentia imperfectior habet obiectum minùs latè patens, quàm potentia perfectior; quod inductio, nè probari potest. Vtitur probatione hac S. Thomas, & illustrat illam optimè Lessius *opusculo de immortalitate animæ, num. 10.* Confirmatur ex S. Thoma, quia materia coarctat & limitat illud omne cui inest, ea proportionem qua inest: ergo potentia illimitatum obiectum habens non potest esse materialis. Deinde omnis potentia cognoscitiua participat aliquam immaterialitatem: ergo quod maior erit capacitas cognitionis, eò maior erit recessus à materia: sed intellectus cognoscere potest infinita, scilicet omnia: ergo intellectus infinite recedit à materia, idèst, illa prorsus caret.

§. III.

**E** Tertia probatio ex libertate voluntatis, & puritate amoris.

**I**lla potentia est independens à materia, quæ posita quacunque dispositione materiæ, potest agere vel non agere: voluntas posita quacunque dispositione corporis perfectè libera est ad agendum, vel non agendum: ergo voluntas nullo modo pendet à materia. Probatur maior, quia potentia materialis pendet à dispositione organi: ergo potentia quæ non pendet à dispositione organi est immaterialis. Confirmatur, quia operatio quæ est contraria omni

omni sensui, non potest pendere à sensu: sed operatio voluntatis est sæpe contraria sensui: ergo non potest pendere à sensu.

Denique argumentor efficaciter. Ille actus est omnino spiritualis, cuius formale obiectum, & modus tendendi in obiectum sunt spiritualia: obiectum formale & modus tenendi, quo voluntas per amorem tendit in Deum, sunt purè spiritualia: ergo actus voluntatis est purè spiritualis. Minor probatur, quia quando voluntas Deum amat amore amicitiae, amat illum formaliter propter infinitam eius perfectionem, propterea est in se: illa perfectio est aliquid spirituale: ergo formale obiectum amoris illius est aliquid spirituale. Neque dicas; amat illum duntaxat ut cognitum ad modum corporum. Contra. Cognitio illa phantasiae concomitans non se tenet ex parte formalis; non enim voluntas amat illum ut sic cognitum, sed propter solam perfectionem ut est in se, quæ purè spiritualis est: igitur obiectum formale illius actus est aliquid purè spirituale.

Obicitur primò. Illa operatio est materialis, quæ in suo esse pendet à materia: operatio intellectus pendet à materia; nemo enim unquam intelligit sine aliqua operatione phantasiae: ergo corporea est. Dices intellectionem pendere obiectivè tantum à materia, non subiectivè. Contra. Non colligitur independentia subiectiva ipsius animæ à corpore, nisi ex independentia obiectiva: intellectus obiectivè pendet à materia: ergo pendet etiam subiectivè.

Respondeo distinguendo maiorem. Illa operatio est materialis, quæ in suo esse pendet à corpore tanquam ab organo & subiecto, concedo; tanquam ab obiecto concomitante, nego. Intellectio non pendet à corpore tanquam ab organo & subiecto, sed tanquam ab obiecto concomitante. Ad instantiam verò, quæ addebatur: Intellectus si pendet obiectivè, pendet subiectivè, distinguendum: si pendet obiectivè per accidens tantum & concomitanter, nego; si pendet formaliter & per se, concedo. Fateor intellectum pendere obiectivè à corpore per accidens & concomitanter, nego pendere formaliter & per se. Ideoque nego illum pendere subiectivè à corpore. Tunc aliquid pendet obiectivè à corpore formaliter & per se, quando non potest unquam in illo statu transcendere id quod species sensibilis repræsentat; tunc autem per accidens, & concomitanter tantum pendet obiectivè à corpore, quando ratione status unionis cum corpore, quem amittere potest, exigit adiunctam habere repræsentationem sensibilem, etiam si possit eam etiam transcendere; anima unita posteriore hoc modo pendet à corpore, quia exigit quidem quandiu est unita, coniunctam habere operationem materiale, sed eam tamen transcendit cognoscendo discrimen rei spiritualis à re corporea, & negando eam esse corpoream. Imò & potest amittere illum statum unionis, extra quem est omnino independentis ab omni corporea repræsentatione.

Obicitur secundò. Operatio finita & potentialis potest attingere obiectum infinitum & actum purum: ergo potest operatio materialis attingere obiectum materiale.

Sed hoc argumentum sapientius solutum est disp. 3. cum egi de obiecto sensuum, & nuper in prima probatione spiritualitatis animæ; discrimen enim magnum est inter obiectum spirituale, quod nullam habere potest proportionem cum potentia & operatione materiali; & obiectum infinitum ac

actum purum, quod cum operatione finita & potentiali potest habere proportionem & convenientiam in ratione spiritualitatis.

## SECTIO II.

*Utrum anima rationalis sit immortalis.*

Explicata, & probata immaterialitate animæ rationalis, non erit difficile probare perennem illius vitam, & imperium morti substantiam; quam esse fidem Christianorum eleganter monet Tertullianus lib. de resurrectione carnis. Et sanè fundamentum hoc videtur esse omnis virtutis ac sapientiae, si persuadeat sibi quisque, non finiti morte vitam, sed inchoati; nec cessare hominem esse, dum desinit in hac carne vivere; infinita superesse sæcula post hoc sæculi somnium, in quo sic vivimus, ut ad eternitatem erudiamur.

Et magnam hanc colligamus ex tota Philosophiæ sapientiam cum Ambrosio, cuius illa præclara vox est: *Didici nihil in lucro ponere, nisi quod æternæ vitæ sit.*

Ante omnia igitur observo cum Suarez lib. 1. de Angelis, & lib. 1. de anima, cap. 10. tripliciter posse dici aliquid immortale. Primò, quod nulla planè vi corrumpi possit ac destrui; hæc immortalitas solius Dei propria esse potest. Secundò, quod ex sua natura est tale, ut nulla planè vi creata possit destrui, sed exigit perpetuò esse, licet sine dubio possit à Deo ipso destrui, si faciat contra talis rei exigentiam; illud vocatur immortale ex sua natura. Tertiò, immortale dici potest, quod licet non exigit ex sua natura semper esse, diuino tamen manere huiusmodi est, ut à nullo possit corrumpi agente naturali. Huiusmodi fuisse Adam si perseverasset in statu innocentie. Prima immortalitas essentialis est; secunda naturalis; tertia gratuita.

Non quaeritur, utrum essentialis illa immortalitas animæ comperat, quam Deus sicut è nihilo eduxit, sic reducere potest in nihilum; sed difficultas est, utrum conveniat illi naturalis immortalitas & ab intrinseco, ita ut ex principis naturæ suæ semper exigit esse; an verò ex sola gratia semper futura sit. Versantur in hoc argumento tam necessario, tam mirabili Augustinus lib. de immortalitate animæ, Tertullianus lib. de anima, Sidonius lib. de morte contemnenda, Petrus Gregorius, Cardinalis Contarenus, Lessius opusculis de immortalitate animæ. Theologi communiter in 4. disp. 43. & cum S. Thoma 1. p. q. 75. art. 2. §. 6. & lib. 2. contra Gentes, cap. 50. §. 70. Cum quibus, & aliis pluribus.

Certissimè tenendum est, animam rationalem ita esse immortalem, ut ex sua natura exigit nunquam desinere, idque demonstrari etiam naturali ratione. Quam ego certissimam veritatem ut demonstrarem clarissimè, primùm id probo tum divina, tum humana autoritate; secundò ex rationibus tum moralibus, tum physicis, à priori & à posteriori. Quæ sanè omnia tam certa, tam fundata sunt, ut persuadere firmiter possim, nullam esse animæ mortem in ipsa morte.